



## **Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen**

...

... Quadragesimale, Das ist ... zweyfache Predigen/ Für alle Sonntäg/  
Mittwoch und Freytäg ... in der Fasten ... Erster Theil

**Barcia y Zambrana, José de**

**Augspurg, 1719**

Dedicatio Authoris. Reverendissimo, Illustrissimo, ac Excellentissimo  
Domino Domino Fr. Joann. Thomæ de Roccaberti, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76477)



DEDICATIO AUTHORIS.

*Reverendissimo, Illustrissimo, ac Excellentissimo  
Domino Domino*

Fr. JOANN. THOMÆ  
de ROCCABERTI,

Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopo  
Valentiæ, Regiæ Majestatis Consiliario, Prælato Do-  
mestico, sanctissimi Patris ac Domini nostri Inno-  
centii XI. Assistenti: olim Pro Regi & Ca-  
pitaneo Generali dicti Regni  
Valentiæ.

*Illustrissime, & Excellentissime Domine.*

**S**iquis hederam quandam ad suprema palatij aut Castellij alicujus  
culmina proserpere, & perenni foliorum suorum verè ipsa etiam  
turrium capita coronare viderit, is adulationis arguere poterit  
officiosam hanc civilitatem, quam humilis planta celsissimo  
ædificio impendit: at interim quod speciem officij refert plurimum sanè  
habet utilitatis, & concupiscentiæ proprii incrementi; nunquam enim pom-  
pa ejus tam latè excrecere, aut publica luce ita inclarescere potuisset la-  
bilis alioquin planta sine tam valido fulcro. Enimverò notum hoc est,  
& percelebre doctorum, aut certè doctrinæ deditorum emblemma. *Do-  
ctarum hederæ præmia frontium:* dixit Lyricus ille Romanus Poëta. At-  
que ego, si non scientia, sciendi certè desiderio doctorum catalogo adscriptus,  
cum in Excellentiæ Vestræ Castello (quod Perillustri, atque antiquissimæ  
profapiæ suæ in insignibus atque dignitatis illius præcelsæ, ad quam per me-  
rita sua provecta fuit, indicium est) tam præclarum, atque sacratum etiam  
fulcimentum invenierim, libri hujus utut exigui folia currere eò libentius per-  
mitto, ut usque ad præcelsa heroicarum manuum vestrarum Capitella expor-  
recta sub tam præcellentis Patrociniij umbra se ipsis altiùs extollantur, eamque  
in lucem excrecant, quam sibi ex radorum vestrorum reflexione superven-  
turam sperant, & exoptant ad illuminandos cæcos illos, deceptosque dor-  
mientium peccatorum oculos summopere utique necessariam.

*Horat. l. 1.  
æd. 1.*

Præter

## DEDICATIO AUTHORIS.

Præter ista si hæderæ utut ambitiosæ, atque adulatoriæ, ut formosè crescant, imaginibus, ac statuis sese circumplicant, uti Persius Poëta satyricus testatur. *Imagines lambunt bedera sequaces*: sive dein statuæ illæ nobilitatis quandam referant effigiem, seu divinitatis; ita planè humilitati meæ clarissimum hic prostat exemplum, quo allectus inconcinnum hunc studiorum meorum partum Excellentia Vestra aræ impono, dum ibidem virtutem perinde ac nobilitatem summè plausibilem invenio: ita quidem ut ista quoque invidia Personam undequaque adeò venerabilem suspicere necesse habeat tanquam imaginem longè vivacissimam virtutis quidem maximè heroicæ, nobilitatis autem veræ admodum, ac primariæ; quippe in cujus nobilissima, antiquissimaque Profapia ad gradum quemlibet admiratione defixus hærerè potiùs quis cogetur, quàm ut definire valeat, an pluribus Regum, ac Imperatorum coronis, seu sacrorum Antistitum infulis, quibus nobilitatur, an verò pluribus summorum belliducum gladiis, quibus confirmatur; seu denique pluribus tantorum Sanctorum virtutibus, quibus coronatur, illustrata fulgeat. O quàm meritò dicere hic valeat sapientissimus Sidonius, quod alia occasione effatus est! *Si natalibus servanda reverentia est, scribit ille, quia & hos non omittendos Evangelista monstravit. (Nam Lucas laudationem Joannis aggressus præstantissimam computavit, quod sacerdotali de stirpe veniebat, & nobilitatem vitæ prædicaturus, prius tamen extulit familia dignitatem,) parentes ipsius aut cathedris, aut tribunalibus præfuderunt. Illustris in utraque conversatione profapia aut Episcopis floruit, aut Præfectis. Ita semper hujusce majoribus aut humanum aut divinum dicere jus usui fuit. Si verò personam suam tractatu consiliove pensemus, invenimus illam obtinere isthic inter spectabiles Principes locum.* Numerat enim verò Magna Roccabertarum Familia, cujus Excellentia vestra felicissimus surculus est, quadraginta unum Reges coronatos, novem Principes, qui illustribus factis ita inclaruerunt, atque si ipsius famæ filii essent: novies Regalibus nuptiis juncta est Imperatoribus Germanis & Regibus Galliarum, à quibus descendit: debent autem illi generis sui claritudinem illustrissimæ per Hispaniam familiæ utpote Cabrera, Claramonte, Requesens, Meralpeix, Entenza Castro, Ixar, Moncada, Cordone, Foix, Narbona, aliaque pene innumeræ.

Verùm, uti mihi quidem videtur, nescio planè, utrùm non summa, ac præcipua sit Generis vestri, & Nobilitatis prærogativa id ipsum, quod de nulla alia narratur. Etenim Vernoldus Roccaberti in Regno Catalauniæ Eques nobilissimus, & inter Illustrissimos Excellentia Vestra ascendentes, seu Proavos, famâ prodigiorum, & admirandorum exemplorum Christi Domini nostri & sanctissimæ ejus Matris Mariæ excitus posthabitâ familiæ suæ curâ, & propriæ personæ comoditate Jerosolymam profectus est, ut oculis coram usurparet, atq; revereretur, quorum profundam venerationem auribus jam imbiberat. Quibus porro gravissimi authores addunt, Christum insignem hunc Heroem convertisse per admirabilem illam parabolam de grano tritici, quam dein prædicavit per Hispanias fervens Christi discipulus, & divinarum illius, atque etiam divinisimæ ipsius Matris virtutum præco effectus.

Num

Persius  
Satyr. 1.

Sidon. lib.  
1. Epist. 6.

lib. 6. arb.  
Geneal.

Marquil.  
hist. Catal.

Thunnoz  
Theatr.

Tom. 3.  
lib. 3.

liberat.

Gerund. &  
Houbert.

ad ann.  
Chr. 36.

## D E D I C A T I O.

Num ergo hæc exigua videatur domûs tam augustæ gloria? Et fortè dicere adhuc vereamur tam Nobilem ejus felicitatem inde scaturiginem traxisse? at Magi certè felices ex tunc esse cæperunt, ex quo JESUM & MARIAM visitaverunt, uti S. Ambrosius inquit: *Qui enim Christum viderant, inquit, Christum intellexerant, meliores utique, quam venerant, revertuntur.* Quid proin obstat, quo minus credamus, omnem Excellentia vestra domûs prosperitatem, atque amplitudinem profectam esse ex peregrinatione hac, & devota adèd Christi visitatione à Proavorum suorum quopiam facta? Et sanè nemo jam miretur, ex tam sancta piâque radice tam floridos sanctitatis, Religionisque ramos pululâsse. *Si Radix sancta & Rami*, benè utique de arbore tam illustri dicere potuisset Apostolus. Et sanè flores suos habuit arbor ista de una, alteraque linea, seu sexu Sanctos ab Ecclesia *canonizatos*, in altaribus collocatos, in templis publico cultui expositos plus quàm sexaginta, in quorum numero Christiana pietas suspicit multos Episcopos, & Confessores non paucos, Imperatores, & Reges aliquos, Virgines non aliquas duntaxat, sed complures, tres etiam gloriosissimos Martyres, qui effuso pro supremi Regis gloria nobilissimo sanguine generosissimorum successorum suorum purpuras tinxerunt.

S. Ambr. li.  
a. cap. a.

Ad Rom.  
11. v. 16.

Porro quemadmodum arbor ex eo tempore, quo in terra primam radicem figit, venturo eleganti fructui suo, quo seipsam postmodum coronatura est, quodammodo præludit, atque hunc ipsum in finem truncus in initio germinare incipit, & furculos agere, & mox in virgas, ac ramos se explicare, folia emittere, quin & florem induere; ita ego absque omni adulationis, & temeritatis labe dixero, nobilissimam celsissimæ Rocabetorum familiae arborem jam à duobus quasi sæculis, ex quo tempore scilicet gloriosus ejus stipes cum tanto plausu de novo apparuit, tanto foliorum, ramorum, ac florum, famosissimorum nempe heroum, fructui illi suo prælusisse, quem præsens hoc nostrum sæculum in tam eximia Excellentia vestra persona esset habiturum; atque ea omnia, quasi media quædam fuisse, ut fructus tantæ nobilitatis, tamque venerandæ sanctitatis progigneretur.

*Nam quamquam antiqua gentis superant tibi laudes,  
Non tua majorum concessa est gloria fama,  
Nec quaris, quod quaque index sub imagine dicat,  
Sed generis Priscos contendis vincere honores,  
Quam tibi Majores, majus decus ipse futurus.*

Tibull. li. 4.  
Panegyrio,  
ad Mæfal-  
lum,

Et verè dubium est, majorne sit vestra Excellentia ob generis sui splendorem, an verò ipsa ejus familia ob Excellentia vestrae Virtutes. In quibus enarrandis utinam mihi non æque obstaret religiosa vestra modestia, quam illorum multitudo, & celsitas! *Nec*

b

*nimis*

## DEDICATIO.

Plin. Panegy-  
ry: ad Tra-  
xanum,
*nimis considerabo* (ut cum Plinio Panegyrico loquar) *quod aures  
tuæ pati possint, quàm quod virtutibus debeatur.* Quod autem  
dixero, cum in finem potius dicta velim, ut alij Excellentia vestrae  
Exemplo doceantur, excitenturque (nam hoc ipsum in istis quo-  
que meis sermonibus præcipue quaero) quàm ut Excellentia ve-  
stra aures vano quopiam blandimento demulceantur. Et sanè  
in Excellentia vestra adhuc inter ephebos, pænèque ab infantia  
virtus illa jam clarius solito elucescere cæpit, quæ modò in sum-  
ma sua perfectione tanto radio-um augmento enitescit. Atque  
hujus ipsius virtutis amor jam tunc è memoria non tam elimina-  
vit, quàm non admisit illas vanitatis lineas, quas alioquin in ho-  
minum animos etiã ante rationis usum inducere solet generis  
nobilitas: unde contempto mundi fastu, delicijs, unaque rebus,  
& spebus libertatem suam, suamque animam Deo Maximo in sa-  
crificium obtulit in ara illustrissimæ Religionis Magni Patriarchæ  
S. Dominici. Cujus in schola dein omnes illas continuò com-  
plexa est, atque addidicit virtutes, quæ legitimum tam magni Pa-  
tris filium effecere. Idem autem sacratissimus Ordo Excellenti-  
am vestram postmodum in Universitate Valentiana summis Phi-  
losophiæ, ac Theologiæ Cathedris venerabundus excepit, atque  
honoravit. Inde verò zelus vester ad sacra nostra Eandem con-  
tulit, ex quibus ceu ferventissimus simul Missionarius, atque ad  
omnem regulam, & optima quæque exempla compositus Re-  
ligiosus viam cælestem vocibus perinde, atque sanctissimis mori-  
bus docuit. Verùm lux tanta, tamque copiosa contineri neuti-  
quam debuerat unius civitatis ambitu, & sphaera, quare in primis  
idem Ordo regendæ uni Provinciæ, Deus verò paulo post universo  
Ordini *Eam* præfecit, dum sacrae familiae filijs mentem hanc indi-  
dit, ut Generalem eligerent, cum interim ipse summus in terra  
Christi Vicarius, Capituli Præsidentem jam elegisset; quod munus  
humeris cujusdam Cardinalis antea imponi semper consueverat.  
Sed quid mirum, si in Excellentia vestra meritorum cumulus Car-  
dinalitij Galeri defectum supplevit? De Generali ordinis regimi-  
ne Rex, ac Dominus noster porro ad Archiepiscopatus Valen-  
tiani dignitatem transtulit; ubi demum luculenter demonstravit,  
quàm merito excellentissima profapia sua gloriatur summò illò  
titulò, quo reliquos quasi coronare solet inscribendo illis: *Dei  
Gratia.* Quod quidem Apostolicus ille zelus, quem ovium sua-  
rum saluti impendit, omnium optimè edixerit.

Cui adstipulatur severa, & seria illa suavitas, quæ curandis  
Gregis vulneribus ea dexteritate adhibita est, ut ei continuò re-  
sponderit notabilissimus in emendatis, reformatisque moribus  
fructus; ita quidem, ut in tota Dioecesi vestra innovatus denuo  
videatur ille primitivæ Ecclesiæ spiritus. Accessit porro solici-  
tudo

## D E D I C A T I O.

tudo illa, & vigilantia erudiendæ juventutis, & præcipuè Clero, & Ecclesiasticis impensa, cujus operâ instructum est illustrissimum Collegium, tanquam armamentarium, seu Tyrocinium, ex quo fortissimi emergant duces contra vitia in Parochijs, & Missionibus regionatim decertaturi. Atque à præclaro hoc opere vestra Excellentia animum suum maximopere occupatum, raptumque esse palam demonstrat, dum seipsam inexplicabili utique cum fructu ministerio isthuc per totas semper quadragesimas consecrat, & impendit, dum nempe quasi Leo Evangelicus spirituales filios suos prædicationis suæ rugitu expergeficit, atque à morte peccati suscitatur. Sanctum nimirum Thomam Villanovanum grandem illum prædecessorem suum hoc in zelo æmulatur, sicuti etiam in innumeris eleemosynis, quibus redditus suos quidem exponit, & quodammodo oppignorat, charitatem verò suam non sine fænore ab omni pignore liberat. Siquis aulam apparatus seu palatis, seu Personæ Excellentie vestræ observaverit; non est hic, inquiet, Archiepiscopus Valentia, sed pannosæ, ac monasticæ paupertatis cultor tenacissimus, prout de Theodosio Magno (quem itidem inter Progenitores habet vestra Excellentia) dixit Socrates: *Palatium sic disposuit, ut haud alienum esset à monasterio.* Quod quidem elogium jam ante de Rege Davide enuntiaverat S. Joannes Chrysostomus: *In purpura, & diademate,* inquiens, *monachorum vitam transigebat.* Siquidem vita vestra vitæ Religiosi cujusdam similior est, quam Principis, dum sub purpura Pontificia arctissimus Religionis habitus contegitur omni linci vestimenti, & lecti molitæ penitus exclusa, observatæque tempore adventûs rigorosa illa ciborum abstinentia, quam observantissimi quique S. P. N. Domini Filij profitentur. Enimvero virtutes hæc ejusmodi sunt, ut nominibus Joannis, & Thomæ ad amissim quadrent: Joanni quidem poenitentia, prædicationis, & jejunium; Thomæ verò Eleemosyna, utpote in quibus, uti dixi, S. Thomam de Villanova, imitatur, & ob zelum denique illum, quo Immunitatem Ecclesiasticam, quam ad Archiepiscopatum veniens convulsam, pessumdatamque invenit, jam verò erexit, & pristino splendori suo restituit, à mundo veluti alter quidam S. Thomas Cantuariensis salutatur. Atque eminentissimæ hæc vestræ Excellentie qualitates tandem meruere, ut à Catholica sua Majestate Regni hujus Valentia Prorex constitueretur, cujus proin prudentiæ, & discretissimo, quem in regendo tenet, modo omnes subditi sui debent pacem, quietem, imo & delicias suas, dum in vestra Excellentia non tam gubernatorem, quam Patrem suspiciunt. *Sed ne impudenter verecundiam tuam laudibus nimis ultro premamus* (dicendum mihi cum prudentissimo Sidonio) *præconia tua justius*

Socrat. in  
Vit. Theo-  
dos.

S. Chrysost.  
hom. 3. in  
Genes.

Sidon. li. 9.  
Epistol. 14.

## DEDICATIO.

*de se, quam tibi scribimus.* Quare ad silentium appello, quod voce mea facundius cætera custodiet; etenim historiæ potius negotium id foret, quam brevis Epistolæ, qualem ego modo scribo. Atque ita idem Sidonius se excusavit in simili occasione: *Ego, inquit, non historiam, sed epistolam efficere curavi.*

Sidon. lib.  
1. epist. 2.

Id unum ad finem Excellentiam vestram supplicatum venio, dignetur admittere tenue munusculum, neque minima contemnere: Siquidem neque Dijs olim semper magnæ, formosæque victimæ ceciderunt, sed haud rarò majestati cuidam exigua liba immolata est. Unde optimè Tibullus:

Tibull. li. 4.  
Panegy.  
ad Theissal.  
lam.

*Parvæque Cælestes placavit mica, nec illis*

*Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.*

*Hic quoque sit gratus parvus labor.*

Atque adeo, si in prima libri hujus facie legendum prostackit magnum Excellentiae vestrae nomen, tum demum quisquis legerit, sufficientem & delectationis, & utilitatis ansam habebit. Ego verò, quoties inter obliteranda potius, quam vulganda scripta mea in illud incidero, habeboprofectò monitorem, qui me partium, ac nominum meorum, quibus Vestrae Excellentiae obstrictus sum, commonefaciet, atque censum certè debitorum exiget. Interim verò Deum ter optimum maximum rogabo, velit Excellentiam vestram ad plurimos annos omni prosperitate augere ad Ecclesiae suae in primis incrementum, atque bonorum omnium, qui eidem prospera omnia tam spiritualia, quam temporalia pro meritis suis apprecantur, solatium, &c. Ego verò

**Illustrissime, ac Excellentissime  
Domine**

Excellentiae vestrae manus exosculor

*Humillimus ejus Capellanus, & Servus*

Doct. D. Joseph de Barzia y Zambrana.

APPRO.